

quae, quia non est in potestate Philosophorum, nec ab eorum subtilitate orta, summam ἀνγί-
βειαν non habet. Ex quo etiam intelligi potest, quae ambiguitas innoxia, quae in vitio sit.

6. Atque in his insunt caussae omnis certitudinis, quae esse in interpretando potest. Neque enim ullo modo certum esse aliquid in interpretando posset, nisi primum aliqua necessitas in sensus cum verbis copulatione intelligeretur, deinde unus tantum verbi cuiusque, loco quoque, sensus, idemque literalis esset.

7. Quo magis repudiandus est error eorum, qui, auctore *Augustino*, *Confess.* XII, 30. 31. unius loci in libris sacris plures sensus, etiam literales, esse posse, contendunt, natus ille a varietate interpretationum in locis ambiguis, cum plures probabilitatis aliquam speciem haberent, et reuerentia auctorum probarentur. Efficit enim interpretationem incertam: quo nihil induci perniciosius potest.

8. Nec magis probari potest opinio, e Iudeorum scholis orta, et ad Christianos inde propagata, quae tantum significare verba librorum sacrorum vult, quantum possint: a qua facilis transitus est ad libidinem omnia allegoriis, vaticiniis, et mysteriis replendi, ut experientia in Iudeis, veteris Ecclesiae doctoribus, Scholasticis, et Cocceianis docuit.

9. Enim uero *allegoriae* ne sensus quidem loco numerandae sunt. Sunt enim potius sensus, qui proprie dicitur, et rerum ad aliquod